



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XI. De Vitio mercis manifestando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

consumens, se ipsum facultate eligendi vel rescissionem, aut supplendi defectum pretii spoliavit, hinc non obest, quod optionem eligendi unum ex istis non habeat.

29 Si emptor etiam bona fide infra dimidium justii pretii emptam consumpsit, vel oneroso titulo alienavit, adversus ipsum agi poterit, ut reddat venditori id, in quo factus est locupletior. Ita Covarruvias, Molina, atque alii. Ratio est, quod talis rem emptam habeat æquivalenter,

Denique notandum juxta citatam legem secundam. Talem venditionem non rescindi necessario, ac præcisè, sed vel rescindi recepta merce, si hæc tradita emptori fuerit, & restituito pretio: vel pretii defectum suppleri, ac cætera stari contractu.

Utrum autem ex his sit eligendum præ altero, esse penes emptorem lædentem, non autem penes venditorem.



Casus XI.

De vitio mercis manifestando.

Titus Præfecto praxatoriae Electoralis valde multas scaphas hordei, ad coquendam tamen cerevisiam ob sui vetustatem inutiles vendit.

Quæ. Quid de hujus contractus valore sit tenendum?

Synopsis.

§. I.

Conclusiones præviae.

1. Tria vitiorum genera in mercibus inveniuntur,

N 2

2. Alia

2. Alia sunt intrinseca, alia extrinseca.
3. Alia ex se manifesta, alia non.
4. Vitium mercis ad aliquos fines potest esse utilis, non autem ad ceteros.
5. Extrinseca vitia non sunt necessario manifestanda.
6. Valoris regula est semper communis æstimatio.
7. Præsentia, non autem primum futura vitia mercium sunt manifestanda.
8. Mercis valor solummodo dependet à futuro communiter noto illius pretio.
9. Vitium præsens inhaeret merci, non autem primum futurum.
10. Ignorantia talis futuræ diminutionis non reddit contractum invalidum.
11. Talis venditor non peccat contra charitatem.
12. Per se manifesta vitia non tenetur venditor ordinariè manifestare.
13. Exceptis certis circumstantiis.
14. Circa substantiam versans vitium est necessario manifestandum.
15. Vitium versans circa certam conditionem, vel qualitatem ab emptore expressè actualiter intentam reddit emptionem nullam.
16. Valebit tamen, si habitu tantum sit ita constitutus.
17. Quid de praxi pharmacopæorum sit tenendum.
18. Subinde vitia etiam non substantialia sunt emptori manifestanda.
19. Nec sufficit semper, quòd res emptori sit inutilis, aliis autem utilis.
20. Extra tres casus vitium mercis non erit manifestandum, si non emptor expressè cum isto mercem nollet emere.
21. Ratio occultandi prudenter tale vitium affertur.
22. Habitualiter tantum nolenti non emere vitiosam mercem contractus non est involuntarius.
23. Nec infimum duntaxat pretium tunc exigi poterit.
24. Venditor ignarus vitii non tenetur ad damna postea evenientia.
25. Quid, si post initum contractum tale vitium primum oriatur?
26. Quid, si emptor periculum

vitii sibi ignoti in se non susceperit?

27. Quid, si venditor occultato vitio detexerit alia?
28. An sola 4. *Haubt: Wängl* in equis sint aperienda?
29. Quid, si venditor det quantitatem minorem, qua convenerat.

§. II.

Resolvitur Quæsitum.

30. Titius venditor sciens inhabilitatem hordei non contraxit validè.
31. Idem contractus est nullus, licèt inscius hujus defectus venditor fuerit.
32. Nisi emptor hujus defectus conscius nihilominus hordeum ob alios fines emisisset.

§. I.

Conclnsiones præviæ.

TRia communiter vitiorum genera, quæ mercem infectæ possunt esse, enumerantur. Primò enim quædam sunt in substantia, ut si vitrum pro

gemma datur. Alia sunt in quantitate, si res minoris sit quantitatis, ac ipse emptor eandem esse judicet. Denique possunt merces esse vitiosæ in qualitate, & circa accidentia, ut si equus ignavus pro generoso vendatur.

Dein vitia possunt esse extrinseca, vel intrinseca, ista mercibus insunt, ut corruptio ipsis feminibus. Illa mercibus non insunt, sed aliunde rem vitiosam reddunt, ut, si sciam talium mercium pretium brevè minuendum esse.

Tertiò, alia vitia sunt ex se manifesta, alia verò occulta. Primi generis est cæcitas equi, Secundi ferocitas equi.

Quartò, cùm emptores communiter merces emant ob utilitatem, quam ad intentos ementium fines continere judicantur, hinc vitium potest mercem ineptam reddere ad finem unicè per talem contractum ab emptore intentum: vel manente habilitate ad finem unicè intentum efficere mercem ad aliquos fines insufficientem: aut ad alios habilem, ad unicè verò intentum ineptam.

Dico 1. Vitia rei extrinseca non

N 3

non esse necessariò manifestanda, emptori. Probat. Vitium rei extrinsecum v. g. est diminutio intra breve tempus ipsius pretii propter magnam talium mercium copiam, & paucitatem emptorum. At hæc non est manifestanda emptori. Prob. hoc non obstante restamen tanti valet, quanti venditur: ergo &c. antec. constat, cum pretium constituatur vel à lege, vel à consuetudine: ergo &c.

6 Confirm. Vendentis scientia & ignorantia ista emptoris non immutat pretium lege vel consuetudine taxatum. Confirm. 2. dō. Aliàs talis vendens diminuto postmodum talis mercis pretio ad restitutionem excessus esset obligatus. Tertiò. Emptor non posset currente pretio mercem, quam sciret brevè minoris constituram, aliis vendere.

Dices. Pretium mercis in veritate non autem in errore fundari debet, sed talis in his circumstantiis communis æstimatione fundatur in errore, cum iudicet pretium non fore tam brevè tempore minuendum. Resp. Pretii & valoris regulam esse semper communem æstimationem,

sive dein hæc sit prudens, sive imprudens, modò circa substantiam non erret.

Dices 2. Vitia mercium sunt manifestanda, ergo etiam decrescens paulò post pretium illarum mercium. Resp. dist. antec. præsentia sunt manifestanda, conc. primùm futura neg. diminutio pretii primùm dabitur.

Dices 3. Valor mercis etiam pendet à pretio futuro, ergo. Resp. dist. antec. dependet, si pretium futurum communiter sit notum conc. aliàs neg.

Dices 4. Non potest assignari discrimen inter vitium præsens & vitium futurum. Resp. Discrimen esse, quod vitium præsens merci inhærens, hujus utilitatem minuat, quam non minuit copia, vel raritas futura: ergo neque hujus privata tantum scientia paucorum communem æstimationem diminuere debet, cum hæc à privata singulorum notitia non dependeat.

Dices 5. Ignorantia hujus diminutionis reddit talem contractum ementi involuntarium: prob. Si iste diminutionem pretii sciret, eam non emeret tanto.

Resp.

Resp. neg. antec. si enim hic emptor sciret, futuram copiosam messem, non emeret frumentum tanto pretio: nec tamen quisquam diceret, emptionem currente tunc pretio factam non esse voluntariam ex eo, quod nesciverit, copiosam messem futuram, non enim habitualis affectio animi, qua quis ita constitutus est, ut, quod modò agit, acturus non esset, si sciret hanc vel illam circumstantiam nunc ignoratam non facit contractum involuntarium, nisi eretur circa substantiam.

11. Dices 6. Talem venditorem peccaturum contra charitatem, si sciat emptorem merces non comparare, ut illas statim absumat. Resp. neg. Ratio est, quia etiam hoc posito vendit rem pretio currente æquo, suoque jure utitur, & hinc justè agit.

12. Dico 2. Vitia per se manifesta non tenetur venditor manifestare. Iterum Communis. D. Thomas 2. 2. quæst. 27. art. 3. ad 1. Prob. non est opus voce venditoris, quando res ipsa loquitur, sed quando manifesta sunt mercis vitia, tunc hæc per

se loquuntur: ergo. Excipiendus tamen est casus, quo emptor, eò quòd sit adeò rudis, aut oculis vel mente hebes, non possit facillè vitium videre.

Quòd si ex negligentia, vel 13. inadvertentia emptor vitium, etiam manifestum non advertat, ejusmodi non esse monendum à venditore, asserunt Aragon. Salon. Vega, Toletus, Salas. de empt. dub. 34. n. 3. si emens circa substantiam errorem non committat, aut rei emptio non sit directè contraria ejus voluntati, venditori insinuatæ, tunc enim deesset illius consensus.

Dico 3. Necessariò manifestandum vitium circa substantiam versans, hinc absque ista manifestatione contractus erit nullus. Prob. in tali casu deest emptoris consensus: contractus autem est consensus duorum vel plurium in idem placidum.

Dicendum 4. Irrita pariter 15. erit venditio, quando vitium versatur circa certam conditionem vel qualitatem, cui emptor expressè suam intentionem actualem alligat, ità, ut actu cogitet, vel dicat etiam, se hanc rem nolle emere, nisi qualita-
tem

tem vel conditionem habeat. Prob. in tali casu emptor non consensit in emptionem talis mercis, nisi ut habentis illam conditionem, aut qualitatem, ergo si hæc desint, consensus etiam deest.

16 Dico 5. Si emptor suum consensum signatè non alligat tali certæ conditioni actu, sed absolute rem emat, licet habitualiter sit ita constitutus, ut, si sciret rem tali qualitate destitutam, se non esse empturum, validus erit contractus. Prob. habitualis ejusmodi voluntas non sufficit ad meritum, vel demeritum: ergo neque ad valorem aut nullitatem contractus aliàs enim quàm plurima matrimonia forent nulla. Confirm. Etsi ista scirem, tamen hìc & nunc, dum nescio, absolute in hujus rei emptionem consentio, si enim ejusmodi habitualis constitutio omnem absolute factum contractum redderet involuntarium, plurimi contractus ob ignorantiam levissimarum qualitatum forent invalidi.

17 Dices. Sapissimè pharmacopæi uni medicamento à medicis præscripto aliud substitu-

unt, consequenter emptores errant circa medicamenta, & tamen emptio non est invalida: ergo &c. Resp. Licet talia medicamenta substantialiter etiam sint diversa, quia tamen eandem utilitatem & virtutem mædendi habent, ideo etiam in tale substitutum medicamentum ægrotus consentit, modò minus pretium petatur, si substitutum est minus pretiosum, sunt enim in æstimatione morali ob æqualem utilitatem ad eundem finem, eadem substantia.

Dico 6. Venditor quando- 18 que ex justitia & cum obligatione compensandi tenetur emptori manifestare vitium mercis, licet hoc non sit circa substantiam, sed solum circa aliquam qualitatem & accidens, talis autem obligatio dabitur, si vitium emptori sit periculosum, ematur, hoc tamen sit fugiens. Secundò. Quando res empta est parum vel omnino inutilis ad finem ab emptore intentum, ut in pharmacis evenire potest. Tertiò. Quando emptor rem ad revendendum emit, aliàs enim decipiet secundum emptorem, & injuriam huic inferet,

in

in prioribus autem primo emptori.

19 Dices. Si res simpliciter est utilis, etsi emptori non sit utilis, non erit tunc opus manifestatione juxta Gabriel 4. dist. 15. q. 10. art. 3. dub. 1. Resp. Licet aliis sit ejusmodi res utilis, si ipsi tamen emptori sit inutilis, iste vel pretium amittet, vel alium emptorem cogetur querere, quem forte non inveniet, vel sero, & cum magno labore, usu talis rei interea privatus, consequenter eidem illata est injuria, quam tamen vendens non inferet, si talia damna emptor facile possit vitare, rem alteri usui applicando, vel pretio æquali vendendo.

20 Dico 7. Si tres antea adducti casus desint, nec emptor expressè nolit rem ejusmodi defectu laborantem emere, tunc circa qualitatem rei versans defectus non erit manifestandus emptori. Ità S. Thomas, S. Antoninus, Ger. Sotus, Banez. Prob. in tali casu sufficit, si ob talem defectum ipsum pretium minuatur, ipsi autem emptori detur res innoxia, ac pro quan-

titate pretii utilis: ergo nulla eidem injuria infertur.

Dices. Non habetur ratio, 21 ob quam possit tale vitium occultari. Resp. neg. quia, ut Sanctus Doctor ait, fortè propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset subtrahendum: unde licitè potest venditor indemnitati suæ consulere, reticendo vitium.

Dices 2. Potest esse, ut emptor 22 cognito tali vitio rem hanc omnino non esset empturus: ergo contractus tanquam involuntarius est nullus. Resp. Si actu est ità constitutus, & intentionem istam actu habeat, aut etiam exprimat: eundem fore involuntarium, non autem, quando solum habitualiter foret ità constitutus; talis enim contractus quoad pretium nihilominus esset validus, & cum pretium sit justum, etiam contractus foret justus.

Dices 3. Saltem venditor 23 in tali casu solum infimum pretium posset ab emptore exigere. Prob. Emptor habet jus ad rem infimo pretio emendam, & hoc à venditore non potest privari, ergo

○

ergo vitium erit manifestandum, aut infimò tantum pretiò vendendum. Resp. etiam venditorem habere jus rem mediò aut etiam summò pretiò justò vendendi, ut tamen adhuc seruetur æqualitas inter pretium & mercem. Cùm ergo uterque habeat tale jus, venditor ut exigat summum vel medium pretium juxta notitiam, quam de pretio aliunde habet, aut de re, emptor autem ut solvat minimum, hinc uterque de hoc suo jure potest contendere, etsi emptor de vitio, quod non est substantiale, non doceatur. Accedit, quòd hæc ratio aduersariorum nimium probet, emptori scilicet valorem, rei nescienti, vendi rem solùm pretiò infimò posse, nisi priùs doceatur pretium, quod venditor exigit, esse summum, vel medium, & dari infimum.

24 Dices 4. Ponamus, quòd venditor mercis vitia ignoraverit, vel tenebitur ad damna inde exorta, vel non? neutrum potest dici: ergo. Resp. Cùm venditor talium damnorum non fuerit causa voluntaria, hinc ad illa reparanda non erit obliga-

tus, præsertim si emptori dixerat, de vitio occulto non se obligatum fore, & hoc reipsa ignoraverit, uti & istius periculum.

Dices 5. Ponamus, quòd²⁵ post contractum tale vitium comperiat, non potest dici, ad quid venditor sit obligatus, Resp. Si tempore contractus pretium rei æquale fuerit, ad nihil erit obligatus; Ratio est, quia rem vendebat, quantum tunc temporis valebat, ipse autem emptor periculum occulti vitii in se receperat.

Dices 6. Ponamus, quòd²⁶ emptor periculum vitii in se non susceperit. Resp. Restituendum de pretio, quòd minùs res valet propter vitium, licet tempore contractus nulla de vitio suspicio fuerit habita, si pretium necdum consumpsit, aut ditior ex illo evasit.

Dices 7. Ponamus venditorem fuisse consciùm vitii, istudque occultasse, detegendo alia vitia, aut dicendo in genere, se nolle teneri de vitio. Resp. eundem in utroque foro obligatum esse. *arg. Legis. quæst. 20. 3. 9. de actione empti.* Ratio est, quòd
tales

tales generales assertiones & exceptiones pertineant ad ea tantum, quæ venditor ignoraverat, non autem ad venditori nota, & malitiosè dissimulata; hinc vel talia erunt exprimenda, vel aliquid de pretio remittendum.

28 Dices 7. In multis provinciis, dum equi venduntur, sola obligatio datur ad exprimendos quatuor principales defectus, *Die vier Haupt-Mängel*: ergo reliqua vitia poterunt occultari. Resp. dist. conseq. poterunt occultari, ut tamen sit aliquid de pretio remittendum, conc. sine hac diminutione neg. hinc cognitio tali postmodum defectu venditor debet excessum pretii restituere, licet ex ignorantia inculpabili ipsius vitii processerit.

29 Dices 8. Ponamus, quod emptor cum venditore conveniat de certa quantitate mercis, venditor autem det quantitatem minorem, ut tamen hæc correspondeat pretio ab emptore oblato; non potest dici, an peccet contra justitiam, vel non. Resp. non fuisse peccatum contra justitiam, & hinc nihil restituendum. Ratio est, quod mo-

nopola v. g. non teneatur cum suo damno vendere, suumque reipublicæ necessarium officium deferere, & minor ista quantitas correspondeat pretio, quod pro majore quantitate foret injustum. Ità S. Antoninus, Gab. Sotus, Vega, Medina, Sylvest. Layman. Palao &c.

Dices 9. Emptor v. g. con-³⁰ sensit in 6. libras carnis, non sensit in quinque: ergo contractus erit implendus. Resp. qui consentit in sex, etiam consentit in minorem numerum, ipse etiam venditor potest uti suo jure, ac se indemnem conservare.

§. II.

Resolvitur Quæsitum.

An iste contractus fuerit validus.

Dico I. Si venditor intentionem emptoris non ignoravit, & tamen hordeum illi vendidit, contractus erat nullus, & pretium restituendum; reparandum quoque damnum, quod emptori exinde evenerat. Ratio est præter allatam conclusionem 4. ta. quia dolosè processit,³¹

fit, & dolus causam huic contractui & reliquis subsequenter damnis dedit, idem sentit S. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 2. ibi: *Regula* (inquit in medio) *manifesta est, quod à vero declinare virum non deceat bonum, nec damno injusto afficere quemquam, nec aliquid annexere rei suæ.* Item art. 3. ex S. Ambrosio adducit: *in contractibus vitia eorum, quæ veniunt, prodi jubentur, ac nisi intinuerit venditor, quamvis in jus emptoris transferint, doli actione evacuantur.* Id ipsum tenent Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 2. num. 14. Lessius. Quod autem venditor ignarus non fuerit intentionis in mercatore existentis, constat, quia scivit, emptorem braxatoriæ Electoralis præpositum esse, nec tantam quantitatem hordei ad alios fines, ad quos obtinendos minor quantitas suffecisset, comparaturum.

32 Dico 2. Si venditor hujus vitii conscius non fuerit, & emptor ad coquendam cerevisiam, ut ad unicum finem comparaverit hordeum, juxta aliquos emptor solummodo contra venditorem poterit agere apud ju-

dicium, ut contractus rescindatur. Nobis autem videtur probabilis contractum fuisse omnino nullum. Assertio nostra constat ex dictis in dicendo 4. n. 4. ob defectum scilicet consensus ex parte emptoris, ex quo constat, venditorem ad restituendum emptori pretium esse obligatum.

Dico 3. Si emptor conscius hujus vitii, hordeum minoritamen pretio emisisset, emptori non competit actio ad rescindendum contractum, sed ad restituendam tantum partem pretii, quanto minoris res empti fuisset. *Lege Julianus. §. Sed si venditor. ff. de action. empti.* Probat, in hoc casu adfuit consensus emptoris: ergo non fuit ob hunc irritus, pars autem ista pretii erit restituenda, ut detur æqualitas inter mercem & pretium; eo ipso, quod merx ob suum vitium tanti non valeat, sed pretium solum excedat mercis vitiosæ valorem. Item, quia in totum pretium in his circumstantiis emptor non consensisset.